TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

DE

DIARRHŒA.

(17

TENTAMEN MEDICUM INAUGURALE,

QUÆDAM DE

DIARRHŒA

COMPLECTENS,

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

THOMAS DREVER,

ORCADENSI-BRITANNUS,

CHIRURGUS.

Ad Cal. Augustas, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT JOANNES MOIR.

1818.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

PATRI SUO CARISSIMO

DAVIDI DREVER,

ARMIGERO,

ANIMI GRATISSSMI PIIQUE

TESTIMONIUM PEREXIGUUM,

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

D. D. C. Q.

AUCTOR.

TENTAMEN MEDICUM INAUGURALE,

DE

DIARRHŒA.

AUCTORE THOMA DREVER.

PROŒMIUM.

Morbus hic satis simplex, et plerumque sanatu minime difficilis est.

Attamen, ex casuum numero qui nobis assidue occurrunt, (præsertim sub cœlo nostrate Britanniæ instabili,) periculo quod eum diu neglectum comitatur, (juniorum

saltem) medicorum cogitationem seriam et intentam vindicare videtur.

Præterea ex irritatione et incommodo quæ eo præsente oriuntur, haud minus quam aliæ nequaquam adeo simplices morborum species, attentionem postulat.

Morbus est cui ætas omnis sexus uterque obnoxii sunt; sed, quamvis in juventute plusquam senectute frequens, in priore vix morbus tam timendus est, quam quum ætate provecta aut corpore infracto supervenit.

In paginis sequentibus, Diarrhœam idiopathicam solum tractabo, speciebus aliis, utpote symptomaticis, posthabitis quippe quarum medendi ratio morbis quibus profluant, accurate perpensis, omnino pendebit.

In Nosologiæ systemate Culleni celeberrimi, sub classe Neurosium et ordine spasmorum posita est, et sic definitur. Dejectio

frequens; morbus non contagiosus; pyrexia nulla primaria. Sex idiopathicæ species Diarrhœæ numerat.

1. Diarrhœa (crapulosa) qua stercora naturalibus liquidiora et majori copia dejiciuntur.

2. Diarrhœa (biliosa) qua fæces flavæ magna copia dejiciuntur.

3. Diarrhœa (mucosa) qua vel ab acribus ingestis, vel a frigore, præcipue pedibus applicato, mucus copiosus dejicitur.

4. Diarrhœa (cœliaca) qua humor lacteus specie chyli dejicitur.

5. Diarrhœa (lienteria) qua ingesta parum mutata celeriter dejiciuntur.

6. Diarrhœa (hepatirrhœa) qua materies seroso-cruenta, sine dolore dejicitur.

DE SIGNIS.

HAUD raro, ante ingressum hujus morbi, corpus languidum, debile, horrores et aliquando rubores leves invadunt, anxietas circa præcordia, et interdum nausea et vomitus vexant.

Abdomen tumet murmuratque; lumborum dolores et gravitas infestant, et flatus deorsum erumpunt.

His vel vigentibus vel prægressis, ingens ad alvum deponendum oboritur propensio, nisus ad istam finem, consequitur, et multæ fæces liquidæ excernuntur.

Aliquid deinde levaminis ægroto plerumque accedit, sed languidus, et frigoris impatiens restat, brevi etiam renovatur desidendi cupiditas, et sedes iterum iterumque

dejiciuntur. Interdum durat morbus per aliquot dies vel etiam hebdomadas, sine ulla exacerbatione, sed plerumque omnia symptomata magis magisque violentia fiunt.

Dejectionibus numerosis, et acribus, intestina irritantur; ventriculus afficitur, et fastidium cibi, pallor vultus, sitis aucta, lingua arida, perspirationis et urinæ imminutio, alvi dejectiones excipiunt.

Pulsus est parvus, debilis, et frequens, oculi sunt tristes, dolores capitis, totum corpus marcescit, crura tument, hydrops generalis aliquando accedit, ubi autem mors appropinquat misero, sudores frigidi et viscidi erumpunt, alvusque noctu et interdiu similiter citata fertur.

Quamvis morbus hicce interdum tenet hunc cursum, et sæpe est male pertinax, et etiamsi depulsus fuerit, iterum a levissimis causis reducitur, et in rarissimis exemplis observata fuit afferre mortem in spatio

duorum dierum *, tamen frequenter morbus levis est, et, sive sua sponte, sive remediis adhibitis, cito cedit, et sæpe videtur esse salutaris naturæ conatus, quo corpus a noxis multis et morbis liberatur.

Materies excreta est varia pro rebus quæ in ventriculum recipiuntur, vel ex partibus vicinis in canalem alimentariam effunduntur; ita ut atra, viridis, albida, subflava, nunc subsimilis bili, nunc serum, nunc pus, et in nonnullis exemplis ubi morbus per longum tempus duraverit, cibus parum mutatus dejicitur, et sic species inter se variant.

---

* Medico-Chirurgical Journal and Review, Vol. II.

DE CAUSIS.

Debilis et laxus status corporis dicitur dare proclivitatem diarrhœæ, et hinc sæpe infantes, juvenes, et fœminæ hoc morbo laborant; sed in iis potius attribuenda est ad magnam irritibilitatem quæ adest eodem tempore, nam ex flexu nunc sursum nunc deorsum intestinorum facto necesse est ut fœces impellerentur, et igitur, alvus astricta potius quam diarrhœa inde insequi debet.

In duas classes dividi possunt causæ diarrhœæ. Prima classis est earum quæ vim suam primitus ostendunt in alias corporis partes, inter quas et intestinorum canalem consensus evidens existit.

Altera est earum quæ immediate intestina afficiunt. Prima classis varios affectus animi complectitur; inter hos, metus præcipue recensendus est, qui sæpe notus fuit inducere

diarrhœam; mens graviter commota etiam dicitur habere eundem effectum. In aliis casibus et sæpius ex frigore, cum humore conjuncto, corporis extremitatibus admoto oritur, (et ex instabili cœlo Britanniæ sæpe accedit,) dum exhalatio per cutem libera est. Ii, qui, per longum tempus in regionibus calidis fuerunt, plus obnoxii sunt quam alii ad diarrhœam, eo quod acrius frigoris vim sentiunt.

Altera est earum quæ immediate intestina afficiunt; hæ vel receptæ sunt per os, vel vasis exhalantibus intestinorum vel ductibus partium vicinarum effunduntur. Stimulantia quæ recepta sunt per os præcipue sunt alimenta; hæc propter debilitatem ventriculi male concocta, in intestina statu præter solitum acri transeunt. Interdum etiam quum ex consuetudine prava sive conditione corporis morbida, homines plus justo cibi potusve ingurgitaverint, ventriculus distentus et supra modum gravatus in contractiones validissimas conjicitur, materies male con-

coctæ intestinis traduntur, actiones eorum augentur, et diarrhœa inducitur. Quum alimenta plusquam solito acria sunt, male digeruntur, et producunt eundem effectum.

Præter alimenta, alia inveniuntur accelerare motum peristalticum intestinorum, variæ res quæ receptæ sunt in ventriculum sub nomine medicamentorum vel venenorum. Sæpissime in ventriculo et tubo intestinali, alimenta mutationes subeunt, quibus aut per se aut cum variis succis quibus miscentur, ad motum peristalticum ciendum aptiora eveniunt.

Ita, victus ad fermentationem acidam vel putridam proclivis, videtur fieri hujus morbi causa. Exemplum prioris, sese offert in fructibus multis et herbis, posterioris, in oleis præsertim animalibus. Nimia copia fluidi ex vasis exhalantibus intestinorum et sæpe acrior quam naturaliter, dat originem ad speciem mucosam. Bilis in statu suo naturali pro stimulo motus intes-

tinorum a medicis habita est. Nec quidem dubium est quin ea aucta quantitate et acrior quam solita sæpe effundatur; et verisimile est diarrhœas, quæ in regionibus calidis tam sæpe occurrunt, ex hoc fonte præcipue derivari.

DE DIAGNOSI.

Duo sunt morbi solum quibus confundi potest, Dysenteria et Cholera morbus.

A Dysenteria, in multis casibus, in primo stadio, difficillimum est distinguere, nam sæpe Dysenteriam Diarrhœa præcedit; sed quum progreditur et confirmatur Dysenteria, symptomata sequentia occurrunt, nempe pyrexia, tormina, dejectiones parcæ, frequentes, mucosæ, vel sanguinolentæ, et tenesmus, dum retinentur plerumque fæces alvinæ. Contra, dejectiones frequentes, copiosæ, fæculentæ, dolores leves, sine contagione vel pyrexia Diarrhœam indicant.

A Cholera dignoscitur ; dolore minus acuto, et dejectionibus plus copiosis, quæ in Cholera parcæ et biliosæ sunt, vomitus etiam frequens humoris biliosi, spasmata surarum, et subita et magna prostratio virium corpo-

ris accedunt. Sed difficile est dignoscere diarrhœam biliosam a Cholera, quia non, nisi gradu, differre videntur, nam eadem plerumque causa ambos morbos gignit, eadem pene phænomena in illorum decursu proveniunt, eademque remedia utrisque occurrunt.

DE PROGNOSI.

In morbi hujus prognosin deducendo, dejectionum quantitate, spissitate et facie generali, morbi duratione, et præcipue virium statu, et ægri ætate, dirigimur.

Si dejectiones tenuitatis et quantitatis magnæ aut valde insolitæ aut fœtidæ non sint, si morbus non per longum tempus duraverit, si vires non multum infractæ et æger suo adhuc juventute sit, prognosis fausta est.

Sed si dejectiones valde acres aut insolitæ et fœtidæ sint, et dolore magno comitatæ, si morbus chronicus sit, et si vires infractæ cum senectute aut ætate admodum infantili, complicatæ sint, tum prognosis valde infausta est.

RATIO MEDENDI.

Ratio medendi sequentibus dirigenda est.

1*mo*, Morbi causa; quam statuere et removere conemur.

2*do*, Augmine intestinorum actionum morbido; quod reprimendum est.

3*tio*, Vigoris partium naturalis defectione; quæ restituenda est.

Quum frigori obnoxius fuit æger, et dejectiones plusquam solito tenues, sed aliter naturales sint, e frigore corpori admoto morbum oriri credemus. Nam, si, excretione per cutem aucta, corpori admotum fuit frigus, perspiratio reprimitur, intestinorum tunicis exhalatio naturaliter aucta est, et Diarrhœa sequitur. Indicatio prima igitur

est, cute exhalationem instaurare; quæ optime fit diaphoreticis aut Sudorificis adhibitis. Hoc consilio, pulvere Ipec. et Op. (dose gr. v. ad x.) aut Tart. Antimonii (dose tali, ut non vomitus sed nausea solum inducta sit, exhibenda) multo beneficio utemur. Sed cum vomitum inducunt medicamenta hæc, Pulvis Jacobi maximo commodo exhibenda sit, quia nec natura vomitum facile inducit, nec dosis magnitudine ventriculum, sæpe irritabilem, opprimit.

Pediluvium etiam, aut balneum tepidum, vel aquæ calidæ vapor corporis superficiei applicatus, auxilia sunt optima et validissima, præsertim ubi morbi duratione, aut aliis antea prædictis causis, intestina (quod sæpe occurrit) valde sint irritabilia. Casibus nonnullis (ut ait Gregorius celeberrimus) exhalationi per cutem liberæ per horas triginta aut quadraginta protractæ facile cessit morbus.

Quando e materia acri ventriculum vel

intestina præter solitum stimulante oritur morbus, hanc acritudinem diluere, removere aut sic mutare ut non intestina stimulet, indicatio est.

Pro ejus evacuatione, purgantia et emetica precipue commendata sunt. Multum laudata olim erant purgantia ; sed nunc, medici omnes celeberrimi purgantium (exceptionibus nonnullis rarissimis) usum improbant.

Culleno celeberrimo videbatur usum purgantium hypothesi de natura morbi omnino falsa inniti, itaque hæc remedia semper supervacanea, et non raro perniciosa esse.

Credebatur aliquam materiem acrem in intestinis exstitisse quæ purgatione evacuanda fuit, sed si acrimonia hæcce per os vel ab aliis partibus corporis in intestina recepta fuisset, nunquam per purgationem evacuari vel corrigi possit ; et igitur, ut in Cholera, multo magis idoneum est exhibere diluentia et demulcentia, quam augere irritationem purga-

tione. Ait etiam GREGORIUS celeberrimus, casibus nonnullis purgantium usu, morbum forma aggravata reductum fuisse.

Emetica igitur, sæpius exhibita sunt, et nullum est auxilium præstantius, nullum tutius, nullum promptius, quam sunt hujus generis remedia.

Non tantum ventriculum exinaniunt, sed exhalationem per cutem sæpe interruptam renovant, et forsitan, motu inverso quod ventriculo et superiori parti intestinorum communicatur, motum morbosum compescunt. *

Acritudinem diluendo et demulcendo, intestina ab ejus stimulo morbido defendimus; ad hunc finem, potus mucilaginosi aut oleaginosi quantitate libera exhibendi sunt. Hujus remediorum generis optima sunt, mucilago gummi acaciæ veræ, amygdalorum emulsio, decoctum avenacei, decoctum oryzæ

* CULLEN's Practice of Physic.

sativæ, &c. &c. Acritudinis mutandæ intentione, antacida, sicut carbonas calcis, magnesia, et carbonas magnesiæ, alkalina et eorum carbonates, sub forma ventriculi statui optime adaptata, libere exhibenda sunt.

Nonnulla antacida, sicut carbonas calcis, astringentia etiam sunt, et ita indicationem secundam peragunt. Rheum etiam, dose parva adhibitum, astringens est, et igitur sæpe eo utimur. Sed opium remedium certissimum est; præsens solatium adhibet, et mobilitatem minuendo, spasmos et motus convulsivos tollit, et in stadio provecto, propter tenesmum sæpe infestantem, summo cum beneficio in enematibus parvis emollientibus, dose larga adhibetur.

Sub astringentium classe etiam enumerantur catechu, kino, lignum Campechense, alumen, et quædam ferri et zinci præparata. Sed sæpe morbi duratione et multis aliis causis, dejectionum quantitate, ægri ætate tenera aut senili, tanta sit vigoris corporis

et partium defectio, ut, (priusquam aut causa removenda aut actio aucta reprimenda possit,) defectionem hanc mederi necesse sit, et, in casibus his, astringentia et tonica remedia sunt optima.

Astringentia jam enumerata fuerunt; et sub tonicorum numero posita sunt, cortex Peruvianus, (sub variarum ejus præparationum forma,) acida, sicut sulphuricum, et citricum, metallica nonnulla, vinum rubrum, &c.

Non omittenda sunt auxilia validissima balneum marinum, dieta levis, nutriens, et concoctu facilis; et in omni casu hujus descriptionis omnia cruda, immatura, aut fermentationi proclivia (sicut vegetabilia, fructus acidi aut immaturi, et talia,) evitandasunt.

Quoad potum, omnes liquores fermentati, sicut cerivisia, evitandi sunt, et magis vinum rubrum valde dilutum assumptum est.

Vestitus etiam attentione dignus est, et ita esset ut frigus evitaretur ; et si res facile ferant, melius erit calidius cœlum petere.

Morbi species est chronica, quæ, inter pauperrimos præsertim, nonnunquam occurrit, et quæ pertinacia et terminatione fatali præcipue dignoscitur, et ex victus et vestitus apti defectione sæpe oriri videtur. Quod valde deflendum est, morbus raro medico oblatus est, priusquam corporis et partium vis ita defecerit, ut vix ullum aut pro mitigatione aut pro cura (eventus spe felicis saltem) tentandum. *

* Medical and Physical Journal, Vol. XXXV.

FINIS.